



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

Pars Secunda Officia bonæ Voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

## PARS SECUNDA.

## Officia bonæ Voluntatis.

## SECTIO PRIMA.

## Primum Officium,

*Acquiescere Deo sive sese resignare, in malis  
pœna quibuslibet, etiam per malam  
hominum voluntatem inflictis.*

I.  
*A bono  
non nisi  
bonum.*

**Q**UISQUIS hoc firmiter cre-  
deret, & menti imprimeret:  
Mala quæ vel sibi, vel neces-  
situdine aliqua conjunctis, eveniunt, ex  
destinata ac speciali Dei providentia eve-  
nire, non difficulter suam illi voluntatem  
quietè ac demissè confirmaret. Sic enim  
ratiocinaretur. Deus hoc voluit: Deus  
bonus non potest nisi bonum velle: bo-  
num ergo hoc est, quod accidit. Si bonus  
est, qui voluit; malus ego sim, qui nolim.  
Si bonum est, quod Deus vult; stultus ego  
sim, si nolim, quod bonum est. Ex tam  
bona causa effectus non potest esse, nisi

D 3

bonus.

bonus. Vident Beatorum multi è cœlo animas amicorum suorum apud inferos, Christus Judam, Jonathas Saülem, David Absalonem, tranquilli tamen ac læti vident: nobis idem accidet, cùm in cælo erimus. Unde ea ex tam tristi spectaculo tranquillitas? Sciunt à Deo esse, & malum esse damnatis, non tamen malum in se, quia *bonus est Dominus, & omnia, que vult bonus, bona sint necesse est.* Animæ in Purgatoriis ignibus summâ propensione feruntur ad videndum Deum, nollent tamen obscuros illos carceres exire, nisi per se, aliósve, justitiæ divinæ ad libellam satisfecerint: quia sciunt Deum aliter nolle, & bonum esse sciunt, quidquid Deus vult.

II.  
*Calamita-  
tum gene-  
ra duo.*

Idem nobis, ex ejusdem veritatis cognitione, faciendum est in hujus vitæ calamitatibus. Earum duo sunt genera: aliæ enim ab ipso Deo immediatè, ut vulgò loquimur, accidunt; aliæ, mediatè. Immediatè à Deo proficisci dicuntur, quæ per causas naturales & necessarias fiunt, ut ab aëre, à ventis,  
ab

ab anni tempestatibus, à bestiis : cujusmodi ferè sunt pestis, sterilitas, paupertas, ægritudinum pars magna, inundationes, fortuita à fulminibus incendia, corporum animorumque intemperies improvifa. Inter mala à Deo immediatè obvenientia etiam illa connumero, quæ per dæmonem ejúsve artes infliguntur. Cùm enim dæmonem non videamus, quod nobis per illum accidit, facilè velut à Deo ipso accidat accipimus. Præterea scimus, dæmonis arbitrio non omnimodam ad nocendum libertatem à Deo permitti, sed malam ejus voluntatem restringi, colligatamque attineri canis istar, qui non incurrit, nisi quatenus ab hero solvitur. Velex Matthæi capite 8. id patet, ubi dæmonum legio per Christum in porcos ingredi finitur: tum ut porcinatorum ingeniorum homines intelligamus esse diabolo gratissimam sedem: tum ut Christi potentia ex damno ingratorum Gerasenorum, & ex dæmonum supplicibus postulatis, agnosceretur: tum maximè, ut disceretur, nihil dæmoni licere in vilia animalia,

malia, multò minùs in homines, nisi Dei permissu. Alterum calamitatum genus est ab hominum mala voluntate, seu nostrâ, seu alienâ: ejusmodi sunt, bella ex consiliis Achitophelis, calumniâ à senibus Sufannæ insidiantibus, lites à mendaci meretricula filium contubernalis suffurata, incendia segetum ab Absalonis emissariis, cædes fratrum ab Abimelecho, aliâque ejusmodi quotidiana.

III.  
*Conformatio  
voluntatis in  
priori malo-  
rum genere.*

In priore malorum genere difficile non est, suam cum divina conformare voluntatem. Cùm enim ibi nîl videamus, nisi Dei providentiâ, non dubitamus quin à bono bonum profluxerit, etsi ratio nobis sit ignota: occurritq; tunc nobis idem, quod Augustino: *Quidquid accidit contra voluntatem nostram, noveris non accidere nisi de voluntate Dei, de Providentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius: & si nos non intelligimus quid, quare fiat, demus hoc ipsius Providentia, quia non fit sine causâ.* Explicat hoc Dorotheus familiari similitudine. Nactus fuisti amicum verum, sincer-

sincerum, non curiæ, ut aiunt, sed cordis, Jonathan alterum, à quo tibi mali nihil unquam, boni plurimum accidit. Is fortè tibi incommodum aliquod in speciem postmodùm creat: an ideò excandescas, obinurmures, inclames, peccatum esse contra amicitiaë leges? Nonne potius sic tecum disputes: notus mihi est amici mei animus experientiâ diuturnâ, & certâ: constat mihi, id ab ipso malum profectum non esse malâ mente: est in speciem incommodum, at certè ex ipsius benevolentia, non dubito, quin commodum meum spectârit. Ecquemnam Christo amicum meliorem, constantiorem, bonorum suorum liberaliorem largitorem invenias? Postquam te donavit temetipso, & simul tot naturæ ac gratiæ bonis, aliquid corpori tuo aut animo affert incommodi. Conquerarisne? Irascaris? Mentem tristitiâ torqueas? Animum despondeas? Fiduciam amittas? Cavesis: inò dic cum D. Polycarpo, quando ad imprecationes adversus Christum provocabatur: Octoginta sex annis ipsi servivi, &

## 82 BONA VOLUNTAS

nihil mihi mali fecit, & ego ipsi maledicam? Ita omninò est, nihil unquam nobis mali fecit optimus parens: aut si quid mali intulit, ad bonum retulit, adeoque bonum fuit.

IV. *Expenditur à Chryso-  
stomo.* Luculentissimè hæc ratiocinatio tractatur à Chryso-  
stomo, libris tribus de Providentiâ, ad Stagiri-  
um inscriptis. Nobili loco natus, abdicata re familiari, & spe dignitatum, in domum religiosam se abdiderat: sed ibi elanguescente sensim studio pietatis, non sat religiosè vixerat. Pœnas negligentiae commeritus, repente Dei permisso à Dæmone insidetur, cum officium divinum publicè persolventibus adesset. Simul invisus hospes domicilium corporis invasit, & funestæ nigrarum cogitationum catervæ animum occupavêre. Redibat in mentem præteriti temporis recordatio: torquebat futurorum præcogitatio: gravis erat conspectus familiarium: obversabatur animo mœror parentum, si quâ ad ipsos rumor de eventu tam tristi perveniret: aliorum lætitia triste  
pectus:

pectus comparatione assiduâ vulnerabat: angor, pudor, metus, tædium vitæ, desperatio meliorum, miseri juvenis viscera perpetuò laniabant. Ut tot malis mederetur Chrysofostomus, ponit primùm, à Providentia Dei accidere omnia: deinde, nisi ejus permissu dæmoni tantum non licuisse, cui ne in porcos quidem quidquam Christi injussu licuerit: tertio, mores esse Dei, ut, bonis exercendis, calamitates vel ultrò immittat ipse, vel ab aliis sinat inferri: quarto, ex ipsius Stagirii malo bona multa elici, quòd minùs sit dissolutus, quòd aliis exemplo præeat, quòd in humili modestia se contineat: denique, quod caput est, id malum, qualecumque sit, profectum à bono, & ad bonum finem, adeoque adorandam ex imis visceribus, & amandam, quantum fieri potest, divinam Providentiam.

v. Proponi solent pro exemplis, *Ostenditur in exemplis.* digito Dei descriptis, Job & Tobias. Hic per causas necessarias amisso visu, *Non est tamen contristatus, quòd plaga cecitatis acciderit ei,*

D 6.

sed



*sed immobilis in Dei timore permansit.* Ille rebus omnibus dæmonis invidiâ, per causas partim necessarias, partim liberas, spoliatus nunquam dixit, *Deus dedit, diabolus abstulit*: Sed constanter iteravit, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum*: ut advertit D. Gregorius libro 2. Moral. cap. 12. Alter D. Gregorius libro de Gloria Confessorum c. 24. illustre aliud exemplum profert in D. Monegunde. Dederat ei Deus filias duas formæ exquisitæ, & amabilis indolis. Mater, & filias, & speciosissimas, & pulchrè moratas, amabat unicè: iis curandis, educâdis, ornandis, producendis, studium & horas impendebat. Displicuit Deo sollicitudo nimia, & virtuti noxia. Velut bonæ segeti onerosas steriles plantas eradicari voluit: &, quia difficile erat nisi materia ipsa tolleretur, filiabus vitam auferre statuit, ut & ipsis meliorem daret, & matri sanctiorem. Utamque morbus invadit, simul mœror ingens pectus maternum, auctus in immensum postquam vis mali, elusâ medicorum arte, ægras ad extrema.

trema deduxit, & matrem ad tristia funera. Quis illam hoc articulo flere vetuerit? Quis gemitum ex imo ducere? Quis pullis ædes vestire, vultui tenebras inducere, ut animi sui noctem indicet, utroque lumine amisso? Ista maximè agentem, & naturæ jura solventem, subiit Christiana & sancta cogitatio. Ecquidnam agimus? Fleamus filias: amissas utique, & eò perfectas, unde redituræ huc non sunt. Irrecuperabilis jactura est, & ipsarum, & doloris mei, qui sine spe fructûs impenditur. Quid autem doleo? Quod Deus voluit: quod bonus fecit. Benè ergo voluit, & bonum fecit, qui nec voluntate falli potest, nec facto errare. Abstulit meas, inò repetiit suas. Præscidit vitam, quam dederat: evocavit animas, quas miserat: liberavit, quas incluserat: innoxias adhuc, & peccare nescias, aut graviorum saltem noxarum puras, eripuit occasionibus peccandi. Quàm multis longa vita æternæ mortis fuit initium? Quidquid ejus rei sit: certè filias meas mori Deus voluit, & bonus voluit, &

benè voluit: & mala sibi ac mihi malè  
velim, nisi optimæ voluntatis sapientissi-  
mæque rationis decretis acquiescam.  
Dixit sapienter, fecit fortiter. Exteris  
lacrymis, præfocato dolore, in unam  
Dei voluntatem intenta, vale longum cu-  
ris familiaribus fecit, quarum causas ami-  
serat: cum ancillula unica se inclusit: re-  
liquum vitæ sanctè egit, & sanctè mortua  
filias accepit, & ab ipsis recepta est eo  
loco, ubi sola Dei voluntas regnat, &  
voluntates omnes Beatorum æternâ tran-  
quillitate continet.

VI. *Difficulter  
Deus adspi-  
citur, ubi  
malitia hu-  
mana inter-  
venit.* Non difficile equidem, ais, ubi  
malitia hominum nulla inter-  
venit, Deo statuenti acquies-  
cere. At ubi peccata partes  
suas agunt, ubi nequitia inter-  
currit, hoc opus hic labor est. Inimici  
capitalis odia malum mihi creavêre: riva-  
lis injusti ambitio inquieta me de gradu  
deturbavit: invidia lividi æqualis speratam  
dignitatem de manibus meis extorsit:  
avaritia vicini lites mihi de finibus fecit:  
negligentiâ famuli amissæ sunt segetes,  
arsere.

arsère villæ, periêre pecora : impotentes domini miserum subditum depauperavêre, milites spoliavêre, latrones diripuêre : ipse ego intemperantiâ meâ morbos mihi accersivi, peccatorum veterum novas quotidie pœnas à me invitus repeto. Inter tot peccantium voluntates quo pacto divinam voluntatem adspiciam? Bona hæc sit, & bonum velit, ac faciat: at hæc malæ sunt, malumque volunt & faciunt. A Deo tu ista esse dixeris, quæ peccata sunt, & Deum mali auctorem feceris? Cur ergo Davidis illud laudatum: *Melius est mihi incidere in manus Dei, multæ enim misericordie ejus sunt, quàm in manus hominum?*

VII. Ut huic difficultati satisfiat, *Malum Culpa, & Poena.* Theologi passim in peccato distinguunt mala duo, Culpæ unum, alterum Poenæ. Culpæ malum, inquiunt, Deus directò & absolutè velle non potest, permittit tantùm, & utique non permittit, nisi volens permittere. Malum poenæ, cum culpa conjunctum, planè & directò vult. Genesis cap. 4. Abel cum Caino.

Caino prodit in agrum, postquam Deus respexit sive inflammavit super munera ejus, Cain invidiâ turbatus in Dei providentiam invehitur, ut narrat Hierosolymitanus paraphrastes. Contra loquente, ut oportuit, Abelo, jurgium enatum, & ferocior ac fortior primogenitus mactat secundogenitum, quem idcirco aiunt vocatum Martyrem Providentiæ divinæ. In eo Caini peccato spectanda duo sunt: Primum, culpa homicidii, quam cæde fratris contraxit; Deo, etsi posset impedire, nolente tamen: permittente itaque, & permissionem volente ob causas justissimas. Alterum est pœnæ malum, quod ex Caini culpa transit in Abelem: diffra-ctio capitis, vulnus, mors. Culpa manet in Caino: Pœna est in Abele. Hanc Deus omninò voluit, id est, damnatâ causâ probavit effectum.

VIII.  
*Voluntas Dei  
quas in pec-  
cato partes  
habeat.*

Rem eandem alii alio modo explicant. Tria considerant ex parte Dei, Voluntatem permittendi peccati, Causam permittendi, Voluntatem cooperandi.  
Crimen

Crimen sine dubio vult Deus permittere: quia, si mallet impedire, multis viis posset. Habet causam permittendi ob fines optimos, quos in Exkursu ad caput primum primi Machabæorum libri expendimus: neque enim optimus Deus de bono sineret fieri malè, nisi omnipotens de malo facere posset benè. Denique accedit voluntas Dei cooperatrix: nam creatura sine Deo neque intelligere posset, nec velle, nec se commovere, ut malè ageret. Ita Drexelius noster explicat in Heliotropio: nos in historia D. Remigii rem planam faciemus. Coëmerat frumenta, & horrea impleverat, ut pauperibus in fame ventura, quam Deo monente instar alterius Josephi præviderat, subvenire posset. Nebulones aliqui, senem avarum & suppressorem frumentorum increpantes, horrea incenderunt. Evocatus ad incendii nuntium D. Remigius, insenso equo accurrit, sed serò, exustis acervis omnibus, prostratis igne horreorum culminibus, & humi ardentibus. Nihil ad tam foedum spectaculum commo-

commo-

commotus, ut erat compositissimæ ad divinam voluntatem mentis, & lepidi etiam inter tristia ingenii, exscenso equo, expansisque ad trabes ardentes manibus: calefaciamus, inquit, commodus enim est omni tempore ignis, ætati præsertim senili, & à crassioribus lignis. Tantum incendiariorum crimen Deus permittere voluit: si nolisset, cogitationes eorum & consilia aliò divertisset. Deinde causam permittendi optimam habuit, exercitationem patientiæ, & tranquillitatis exemplum singulare in D. Remigio. Denique accessit voluntas cooperandi, citra quam incendiarii neque actum voluntatis elicuissent; nec manus movissent, ad faces & paleam flammis ministrandam; nec flammæ ipsæ vim urendi habuissent magis, quàm in fornace Babylonica. Totum itaque istud incendium à Deo fuit, licet peccata intervenerint.

IX. Clarissimè ad mentem meam,  
*Deus calamitatum omnium* & solidissimè, partes Divinæ  
*caussa prima.* voluntatis in hominum peccatis, alteri nocentibus, demonstrat noster  
 Theo-

Theophilus Bernardinus libro II. de Perseverantia cap. 4. hunc ferè in modum. Cogitandum eos, qui quacumque nos ratione impetunt & offendunt, duas velut personas exhibere: unam, quàm obesse nobis volunt; alteram, quàm obesse possunt. Quàm injustè nocere volunt, hominum personam gerunt, malorum, & peccantium, divinæque voluntati peccando contrariantium. Quàm nocere possunt, instrumenta sunt Dei, concursus potentiae suæ, ad nostram castigationem vel exercitationem, perversæ voluntati accommodantis. Itaque ipsi malorum nostrorum sunt solummodò causa secundaria, & ut loquimur, instrumentalis: Deus autem est causa prima & motrix. Prorsus ut in pictoria artifex se habet erga penicillum, & in fabрили operarius erga malleum. Nec refert quod homo, qui peccato suo aliis noxius est, utatur etiam voluntate sua, sponteque ac liberè noceat: nam & ipsam malam hominis peccantis voluntatem, etsi Deus prohibet ac damnat, permittit tamen, & permissam ad opus suum adhibet, instar instrumenti.



X.  
Ita Scri-  
ptura lo-  
quuntur.

Majusne umquam fuit crimen  
Christicidio? De Christi tamen  
Passione Deus ipsemet dicit Isaïæ  
cap. 53. *Propter scelus populi mei percussi eum.*  
Non dicit, percussere Sacerdotes invidiâ,  
percussit Cayphas consilio, percussit Ju-  
das proditione, percussere Judæi linguâ,  
percussit Pilatus injustâ sententiâ; percus-  
sere carnifices crudelitate: sed ego *percussi*  
*eum.* Quia scilicet in Christi Passione  
Deus primus erat actor & motor, qui tot  
perverfas & impias hominum voluntates,  
velut optimæ & sapientissimæ Providen-  
tiæ instrumenta admovebat ad Filii sui  
cruciatum simul, & ad salutem Universi.  
Dubitari non potest, quin peccata pluri-  
ma in bellis aut inchoandis, aut ducendis,  
partes suas agant. Bella tamen sibi Deus  
tribuit, quasi causæ primariæ: quia quid-  
quid in bellis agitur, ejus justitiæ servit in  
puniendis populorum criminibus, & mi-  
sericordiæ in corrigendis. Ambitio Chal-  
deos in Judæam immittit: eâ utitur vin-  
dex Deus ad castiganda Judæorum pec-  
cata, idque Ezechieli ostensum in curru,  
multi-

multiformibus animalibus juncto, cujus habenas vindicta divina moderabatur. Apertius id à Michæa pronuntiatum c. 1. *Descendit malum à Domino in portam Ierusalem.* Ain' tu à Domino venisse? Nonne ab injusta potiùs Babyloniorum cupiditate profectum est? Imò & à Babylonis venit malum, ut à caussa instrumentaria: sed à Deo accidit, velut à caussa primaria. Eâdem sententiâ Habacuc cap. 1. post longas de infælicitate populi sui querimonias, & de Chaldaicæ gentis victoriis, velut sibi ipsi respondens: *Domine, inquit, in judicium posuisti eum, & fortem Chaldaum, ut corriperes Judæos, fundasti eum.* Eò semper reditur, hostes instrumenta Dei esse, justè & misericorditer vindicantis: quia mala quidem voluntas nocendi ab ipsis est, at potestas nocendi non est nisi à Deo, illam concedente ob fines optimos, quia optimus est. Similem in modum cap. 2. descripta obsidione Babylonica per Darium & Cyrum, ubi latrocinia, homicidia, stupra, aliâque innumera flagitia contigère, ait, *Numquid non hæc*

*hæc sunt à Domino Deo exercituum?* Hæc  
cine, inquit, à Deo? Tot mala ab optimo.  
Planè ab illo sunt, non quæ peccata, sed  
quæ noxia. Malæ & injustæ voluntates,  
ambitiosorum Regum, cruentorum sa-  
tellitum, luxuriosorum militum, instru-  
menta fuere optimæ ac justissimæ vo-  
luntatis.

XI. Hinc ad usum nostrum colliga-  
*Dei manus* mus; Primò, quidquid nobis  
*in omnibus* eveniat negligentia, ignorantia,  
*adspicienda.* imprudentia, malevolentia aliena vel no-  
stra, statim convertendos ad Deum ocu-  
los, velut ad motorem primarium. Deus  
hoc permisit, nec permisit nisi volens  
permittere; eaque permissione ob justas  
causas posita, malo ipso bonus ad bo-  
num utitur: admovet errores meos &  
alienos ad utilitatem meam, velut artifex  
instrumenta operi perficiendo: sicut  
operarius sapientissimus efficere quod cu-  
pit, & quibus videtur instrumentis. Nihil  
agent, nisi quatenus movebuntur à do-  
ctissima manu, & aliquid se dignum pro-  
ducturâ, nisi opus ipsum nodosæ volun-  
tatis

tatis obstinatione resistat opifici. Apud Theodoretum in Vitis Patrum cap. 21. Dæmoni plagas comminanti Jacobus Anachoreta, percute, inquit, si tibi permissum est, percute: lubens accipiam verbera, quia ab eo accipiam, qui feriri me permisit. Si autem id tibi permissum non est, infanias licet, numquam percusseris. Facile id quidem, ut antè diximus, de dæmone intelligitur, nîl facere nisi Dei permissu. Sed, si attendimus, idem in affleclis dæmonum peccatoribus agitur: non nocent, nisi quomodò, & quatenus, à Deo sinuntur. Eam ob causam apud Paullum Diaconum lib. 23. Irene Imperatrix de folio per servum deturbata, identidem ingeminabat: Gratia Deo, quòd indignam me ad imperium evexerit, gratia etiam quòd me dejecerit: ab ipsius manu & hoc & illud fuit; illud immerenti collatum, hoc inflictum promerita. In omnibus autem bonis, & malis, Sit nomen Domini benedictum.

XII.  
*Vindicta  
 non co-  
 quenda.*

Secundò, discamus non indignari adversùs inimicos, non vindicare. Etiam coquere, non malum malo rependere. Si enim instrumenta Dei sunt, tantumdem illis irascendo fecerimus, quantum stultus, qui virgis cæsus non appetit cædentem, sed magnificè se ultum putat, si virgas admordeat & diffringat. Aut, quæ vulgaris similitudo est, à Dorotheo ad rem nostram adhibita, Doctrinâ sept. canum instar erimus, qui lapidibus appetiti, omisso jaculatore, ad lapidem admordendum excurrunt. Sic miser Saül à Deo destitutus, non adspicit Dei justam manum, non osculatur, non adorat: sed nunc bilem suam egerit in Davidem, nunc in Jonathan, nunc in Achimelechum: prorsùs ut homo mergens obvia quæque apprehendere, & secum trahere solet. Sic etiam lib. Regum 4. cap. 6. Rex Samariæ, invalescente fame, non intuetur auctorem Deum, sed in Elisæum invehitur, juratque filio Saphath caput recisum iri. Contrà sapientissimè & sanctissimè

simè David lib. Reg. 2. cap. 16. ab homine maledico convitiis appetitus, Dominus, inquit, præcepit, ut malediceret, id est, malâ ejus voluntate ad pœnam meam utitur. Eundem in modum Josephus Genesis cap. 45. fratribus ait, Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum. Non equidem nesciebat de se occidendo, in cisternam demittendo, Madianitis negotiatoribus in Ægyptum tendentibus vendendo, consultasse: sed Deum etiam sciebat eorum impia consultatione usum esse, tamquam malo instrumento bonum opificem. Explicatius loquitur cap. 50. Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum. Quando nocere voluistis, vestro animo servistis: at cum nocendi potestas accessit, non vobis ipsi servistis, sed Deo, alios longè fines gloriæ suæ, virtutis meæ, utilitatis vestræ, cogitanti.

XIII.

*Licet tamen  
defensio, &  
quatenus.*

Tertiò notandum: etsi vindicta non liceat homini Deum attendenti, justam tamen defensionem licere, cum moderamine in-

E

culpatae

culpatae tutelae, ut scholae loquuntur: id est, quatenus necesse est, ut vitam bonave tua, quae injustè impetuntur, conserves. Honorem tuum, famam, bona, vitam inimicus aggreditur: resiste, nec metue ne resistendo contraeas voluntati Dei. Quemadmodum enim, cum aegrotas, medicos & medicamenta adhibes, quia scis Deum voluisse ut aegrotares, nescis an te sanari nolit. Ita in malis per hominem inflictis, scis Deum voluisse ut illa exciperes, nescis an velit ut in illis perseveres. Itaque defende te, quàm iustum est: potesteaquam id feceris, si malum perseveret, tunc tibi constabit & hoc Deum velle, adeoque ejus voluntati acquiesces.

XIV.

*Solida afflicti consolatio.*

Quia doctrina ista maximi momenti est, ut usus sit clarior, fingamus adesse nos consolatores calamitoso alicui, cum utroque, quod notavimus, genere miseriarum conflictanti. Aestu febrem contraxit, quod malum à Deo immediatè esse diximus: falsis testimoniis de patrimonio deturbatus

tus

tus est, quale malum mediatè à Deo proficiscitur. Post voces amoris & misericordix testes, suaviter monemus, ut Deum attendat: à quo æstus & hyems, sanitas & ægritudo, vita & mors. Facilè, inquit, à Deo intelligo, morbum evenisse: nec mihi id tantopere dolet, quando summū Domini, justam & benignam manum, vel plectentem, vel exercentem adspicio. At facultatibus meis pessima hominum voluntate excidisse, id verò molestissimè fero. Atqui, mi homo, tam tibi à Deo paupertas hæc accidit, quàm ille morbus. Itane verò, inquit, à Deo justissimo & optimo injustitia & peccatum acciderint? Peccatum, inquam, Deus non vult: sed pœnam ex illo inflictam voluit. Instrumento malo usus est, usus tamen. Tu instrumentum ne intueare, sed manum artificis. Si quis te chirothecâ verberârit, trahâsne chirothecam in jus, an verberantem? Disputa ergo & contende cum Deo, & de illo, si audes, conquerere. Equidem, inquit, de Deo non conqueror, sed de hominis mala voluntate: ferre illam nequeo,



## 100 BONA VOLUNTAS

non concoquere. O bone, hominem  
semper intueris: ego ad Deum oculos  
tuos avoco. Quid voluntas humana po-  
tuit? Unde? Quamobrem? Permissione  
divina, imò & cooperatione potuit: si di-  
vinâ, ergo optimâ, laudabilissimâ, ama-  
bilissimâ: ergo malè querimonias multi-  
plicas, & excandescis, & vindictam coquis.  
Ut quidem loqueris, inquit, adversus in-  
justè rapientem, accusantem, ferientem  
defendere me non liceat. Non hoc dico:  
Deus impeti te voluit, nescis an ab im-  
petente nolit te liberari: interim defen-  
das te licet, sed modestè, tranquillè, Chri-  
stianè, sine strepitu iræ, sine conatu vin-  
dictæ, non ut malum inferas, sed ut ma-  
lum repellas, si Deus volet. Si autem Deus  
nolet, & defensionis tuæ negabit effica-  
ciam, conquiesce, & illud apud te recole,  
damnando cum Augustino injustam vo-  
luntatem, glorificando justam permissio-  
nem: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus  
vertet illud in bonum: &: Quis est, qui nobis  
noceat, si boni emulatores fuerimus?*

SECTIO

## SECTIO SECUNDA.

Alterum bonæ voluntatis officium,

*Fidere Providentiæ divinæ in malis quibuslibet.*

I. *Fiducia quando habēda.* **R**esignatio in Dei voluntate, ut jam loquimur, aliud nū est, quàm tranquilla & obediens acceptatio omnium eventuum, qui à divina Providentiā contingunt, sive perfecta conformatio voluntatis nostræ cum divina in rebus omnibus, quæ vel nobis ipsis, vel sanguine amicitiaē conjunctis accidunt. Etsi ea virtus etiam in bonis de manu Dei accipiendis exercetur: quia tamen id difficile non est, & impii ipsi divinæ voluntati se conformant, confitenturque illi cū benefecerit eis: ideo Resignatio seu Conformatio tunc propriè spectari solet, cū calamitatibus à Deo, per se vel per homines illatis, acquiescimus. Eodem modo hīc loquimur de Fiducia, quam Providentiæ divinæ debemus. Semper illi fidendum, sive in pro-

spes sumus, sive in adversis: cogitandum-  
que, à paterno ipsius affectu & hæc, &  
illa ad utilitatem nostram proficisci. Sed  
quia spes læto tempore facilis est, tristi  
difficilis, de ista nunc tantummodò age-  
mus, alibi de alia.

II. *Periclitat-  
ur in tem-  
pestate.* Apud Marcum cap. 6. Apосто-  
li tempestate jactati vident  
Christum ambulante[m] super  
aquas, & rati phantasma esse, præ timore  
exclamant. Itane verò, tam probè co-  
gnitum, & familiarem vobis Dominum  
pro phantasmate haberi? Nescitis morti  
imperasse? Non interfuistis modò miran-  
dis panum multiplicatorum epulis? Qui  
naturæ & morti imperârit, imperare flu-  
ctibus non possit? Sed nox erat, & tem-  
pestatas: inde turbato & obtenebrato judi-  
cio, Christus phantasmatis instar visus  
est. Eundem in modum Christianis  
sæpissimè accidit. Vident Christum, &  
agnoscunt, quamdiu tempestatas non est.  
At postquam tenebræ sese intendere, &  
procellis quassa est navicula, tunc simul  
fiducia concutitur: nigra phantasmata,  
deje-

dējectio animi, desperatio meliorum, alixque tenebroſæ cogitationes mergunt iudicium, & voluntati naufragium minantur. Quid autem timidi estis modicæ fidei homines? Quia externa rerum facies mutavit, Deum simul mutasse arbitramini? Nescitis, procelloſo cælo pariter ac sereno, Deum eſſe ſemper ſuorum patrem, ſemper bonum? Amovendæ igitur diffidentix omni inter quantaſlibet miseras, Chriſtiana mens, peccati gravis ſibi non conſcia, hæc ſolum perpendat certiffimæ veritatis argumenta: Deus pater eſt, ergo non caſtigat niſi ad bonum fili: Deus pater eſt, ergo non recuſabit, quod rogabitur, ſi eſt ad bonum filii.

III. *Paterna caſtigatio.* Perpendi illud volebat Auguſtinus in Pfalmum 54. *Gaudes? Agnoſce patrem blandientem. Tribularis? Agnoſce emendantem. Sive blanditur, ſive emendat, eum erudit cui parat hereditatem.* Abſit ut illum carnificis inſtar habeas, cui ſolum officium eſt, reos torquere: aut malis noſtris ipſum gaudere

existimes, velut Adonibefecum præfectis  
 captivorum manibus oculos pascentem,  
 Neronémve ad incendiorum spectacula  
 plaudentem, aut alia tyrannorum monstra,  
 quibus voluptas ex alieno malo quæreba-  
 tur. Cùm puer esses, si patrem animi  
 paterni habuisti, expertus es, quod ait  
 Augustinus, nunc blandum, nunc seve-  
 rum, prout utilitas tua postulabat. Lau-  
 davit te, muneratus est, extulit, ut ad bene-  
 faciendum animaret. Reprehendit, ca-  
 stigavit, depressit, non ut in malo tuo lata-  
 retur, sed ut à malo te avocaret. Narrat  
 Episcopus Barbastensis Nuza Tomi in  
 tractatu altero, parte 2. visum à se Illu-  
 strissimum Comitem, qui à filio graviter  
 offensus, quia ille jam magno natu erat,  
 & pueriles castigationes emerferat, ut ta-  
 men testaretur quid commertus esset,  
 ipsius effigiem, præsentis ac spectantis,  
 laceravit. Ita optimus Pater cælestis agit  
 cum filiis immorigeris: ut animam erran-  
 tem officii sui moneat, & servet, effigiem  
 lacerat, id est valetudinem, facultatem,  
 honorem. Quid enim ista sunt, quàm,  
 quod

quod Tertullianus de corpore dicebat,  
*Statua titulo hominis incisa?*

IV. *Oculata & medica.* Moses de Josepho, Salvatoris nostri & parentis optimi expressissimâ figurâ, loquens Deuteronomii cap. 33. hunc in multis titulum habet: *Cornua rhinocerotis, cornua illius.* Ubi advertendum, rhinoceroti cornu situm esse infra oculos, non supra ut tauro: ideóque non ex cæco impetu ferire, sed ex destinato, videréque quid petat. Notandum item, rhinocerotis cornui vim medicam inesse adversus venena ac pestes: quod enim monoceroti tribuitur, id rhinoceroti dandum, cum alius non sit monoceros. Cornua Christi cornua sunt rhinocerotis. Videt quem feriat, ubi percutiat, quorsum vulneret. Fortuita plaga non est, cæco more non infertur, ex destinato & altissimo consilio accidunt omnia. Quod caput est, cornua Christi medicâ vi pollent, & plurimum profunt rectè utentibus.

V. *Bona ex malis.* At quæ bona, inquis, ex calamitate oriantur? Totidè quot à cornu

E 5

rhino-

rhinocerotis, purgatio venenorum, & exinde valetudinis conservatio. Breviter illa comprehendit Augustinus libro 1. de Civit. eleganti sententiâ. *Habet familia veri Dei consolationes suas non fallaces: bonis terrenis tamquam peregrina utitur, non capitur: malis verò aut probatur, aut emendatur.* Notissimâ similitudine ad eam expurgationem, emendationemque significandam utitur Sapiens cap. 3. *Tamquam aurum in fornace probavit illos; id est, electos suos Dominus malorum sensu, sicut aurifex ignibus metalla, excoxit.* Addit deinde aliam non minùs congruam imaginem: *Et quasi holocausti hostiam accepit illos.* In prosperitate probus homo offert se Deo quidem, sed ferè velut hostiam pacificorum, partem sui servans sibi, commodis simul suis & obsequiis divinis intentus. At in adversitate holocausta sumus, & omnia Deo dare consuescimus, eò faciliùs, quòd nobis amarescunt, quæ antè sapuère. Osee cap. 5. dicit Deus, *Effundam quasi aquam iram meam.* At numquid significantiùs ira divina fulminis tempe-

tempestative, aut incendio, quàm aquæ comparetur? Castigationem paternam hîc intellige, inquit Rupertus: *quia sicut aqua visibilis mundare solet sordes corporeas, ita illa captivitas Hebræorum per Assyrios mundavit populi peccata.*

VI. *Magistra virtutis calamitas.* Ephraim, id est frugifer, cùm in possessionibus suis quietus habitaret, bonisque afflueret, à Deo recessit. Ephraim, inquit Osee cap. 9. *quasi avis avolavit.* At verò captus ab hostibus, extorris, pauperie & ignominosa servitute oppressus, ad sanio rem mentem reversus est, Jeremia teste cap. 31. *Audiens audivi Ephraim transinigrantem: castigasti me, & eruditus sum, quasi juvenculus indomitus.* Juvenculi lascivientis, & avis avolantis, columbæque seductæ instar erat Prodigus Evangelicus, quem pauperies & fames jugo assuefecêre, & ad paternam domum reducere. Exituris ex Ægypto Israëlitis non modò mare miraculo patuit, sed etiam visus maris alveus exhibere hortum floriferum: ita Sapiens innuit cap. 19. *In mari rubro via sine impedimento,*



*& campus germinans de profundo nimio.*  
 Hæserè nihilominus Israëlitæ dubiū, an  
 tale invitamentum sequerentur, ut notat  
 Glossa in Psalmum 105. *Et irritaverunt  
 ascendentes in mare rubrum.* Donec à  
 tergo incubuit Pharao, & terrore impu-  
 lit dubitantes. Prosperitate invitat suos  
 Deus ad terram promissam: sed hærentes,  
 & Ægypti adhuc memores, imminente  
 & irruente à tergo Pharaone, id est, ca-  
 lamitate aliqua. repentina urgentur, reli-  
 ctóque vitio transeunt ad virtutem. Ita  
 Augustinus libro 1. contra Academicos  
 ait, Romanianum Licentii patrem, cum  
 fælix esset, non auditorum fuisse, si quis  
 eum ad æterna invitasset: nunc ad illa  
 ultrò adspirare, miserias expertum.

VII. Chrysostronus homilia 62. ad  
*Idem de-* populum Antiochenum, ex illa  
*claratur.* Ecclesiastæ sententiâ cap. sept.  
*Melius est ire in domum luctus, quàm in do-*  
*num convivii,* domos duas describit;  
 unam, ubi nuptiæ celebrantur, alteram,  
 ubi exequiæ. In illa ingluviem, intem-  
 perantiam, insana tripudia, verba lasciva,  
 alia-

aliaque ejusmodi regnare: neque enim  
 ubicumque nuptiæ fiunt, adest semper  
 D. Virgo, cum filio & discipulis ejus.  
 In hac contrà spectari sobrietatem, seve-  
 ritatem, modestiam, verba composita,  
 orationem, aliasque virtutes, quarum do-  
 cendarum artifex optima est adversa for-  
 tuna. Daniel cap. ii. Hebræis impen-  
 dentia plurima mala vaticinans: *Cadent,*  
*inquit, in gladio, & in flama, & in capti-*  
*vitae, & in rapina dierum.* Quo autem  
 fine? *Vt consentur, & eligantur, & deal-*  
*bentur usque ad tempus presinitum, quia ad-*  
*huc aliud tempus erit.* Itaque meritò in-  
 trepidus inter minas Lucifer Calaritanus,  
 libro de non parcendo in Deum delin-  
 quentibus ad Constantium: *Si torques,*  
*inquit, magis curamur: si crucias, magis*  
*resicimur: si interficis, magis vivemus.* Eri-  
 gat potius Christianum, quàm abjiciat  
 calamitas, ut ait Cyprianus libro ad De-  
 metrianum Proconsulem: *Ille mœret*  
*& deslet, si sibi malè sit in hoc seculo, cui-*  
*tenè non potest esse post hoc seculum.*

TIO BONA VOLUNTAS

VIII.  
*Alterna  
fortuna.*

An ergo tu calamitosos meliorem fortunam desiderare ac postulare vetueris, si tantum ex malis bonorum est? Non equidem id velim. Imò eos damno, quibus infortunia animos dejiciunt, & omnem de melioribus cogitationem præfocant: homines modicæ fidei, ignarique alternarum viarum, per quas sapientia divina suos ad alta virtutum solet perducere. Non nesciebat Sara Raguelis filia, cum Tobia cap. 3. supplicabunda Deo diceret: *Post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem & fletum exultationem infundis.* Experta erat Anna Samuëlis mater 1. Regum 2. quando concinuit Dominum mortificare primùm, dein vivificare. Origenes homilia 1. in illud Jeremiæ c. 1. *Constitui te, ut evellas & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes: Observavimus, inquit, in Scripturis sacris, semper ea quæ videntur tristia antè nominari, deinde quæ letiora.* Idem notat Basilius in illud Psalmi 29. *Ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus.* Ubi primùm iram au-

dis,

dis, tum vitam: primū indignationem, dein voluntatem, id est benignum ac proum benefici Numinis affectum.

IX. *Recurrendum ad Deum.* Itaque iram Dei sentis? Clementiam expecta & vitam. In bello es? Cogita morem Providentiæ divinæ, & ad pacem aspira. Humiliaris? Cogita exaltationem. Ægrotas? Spera sanitatem: *Spera in eo, & ipse faciet:* & tum quidem maximè faciet, cum minimè fieri posse videbitur; ut nunquam magis quàm rebus desperatis sperandū sit, quod alibi ostendimus. Non audis ipsummet invitantem Psalmo 49. *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Nescis quod Chrysostomus ait in hunc versum Psalmi 114. *Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi?* Quemadmodum mater infantulum, longius recedentem, exterret, aut exterrendum curat, ut revocet: ita Deum calamitate utri, ad vocandos in sinum suum homines, alioquin ad rerum inanum ludibria pueriliter sectanda aberraturos. Non meministi Ezechix lib. Reg. 4. cap. 18.

112 BONA VOLUNTAS

cap. 18. & 19. quomodò ad Deum recur-  
 rat, & coram illo literas hostiles, & simul  
 orationem suam expandat, istud semper  
 in animo fovens, *in Domino Deo nostro ha-*  
*bemus fiduciam?* Non succurrit tibi exem-  
 plum Christi in horto, & in Cruce oran-  
 tis, Patrémque blandissima appellatione  
 invocantis, non autem Judicem aut Do-  
 minum: licèt ipse peccatoris personam  
 exhiberet, ideóque supplicia nostra exsol-  
 veret, irasque & pœnas Domini contra se  
 militantes undique contueretur.

x. Oravi, inquis, & in eodem luto  
*Recusat,* semper hæreo. Quiesce itaque,  
*ut det.* & mane securus, ubi te Deus po-  
 suit. Cave ejus providentiæ obmurmures.  
 Dic cum Augustino in Psalmum 102.  
*Seviat quantum vult, pater est. Sed afflixit*  
*nos, sed contrivit nos, pater est.* Benevo-  
 lè sævit, misericorditer affligit, amanter  
 conterit. Illustrissimum in eo genere est,  
 quod D. Joanni Eleëmofynario, & civi  
 cuipiam Alexandrino accidit. Dederat  
 hic illi septem auri libras & dimidiam, ut  
 filium suum annorum quindecim, cum  
 mercè

mercibus navigaturum, Deo commendarer. Post dies triginta nuntiatur mors filii, & mercium jactura. Perculit Joannem triste nuntium: & cum patris orbati vultum non sustineret, ex domesticis suis unum mittit, qui soletur. Sed solatia omnia respuebat doloris atrocitas. Donec visus illi in somnis Joannes, monuit, ut fletum desineret: vitam enim filii desiderasse, qui jam vitam viveret immortalem. Tam læto nuntio extersa parenti mæstitia omnis: & postridie manè ad Joannem adiit, gratiasque impensè egit. Istud in Vita D. Joannis fusiùs narratum invenies, & exscriptum apud Drexelium sub finem Gymnasii Patientiæ.

XI. *Calamitas ventilabrum, & sorcular.* Psalmo 43. ubi nos legimus, *Dedisti nos tamquam oves escarum, & in gentibus dispersisti nos, Symnachus & Aquila vertunt, Et in gentibus ventilasti nos.* Ponderat ibi hanc vocem Ambrosius: *Sicut triticum si ventilatur, & à paleis separatur, mundum est: si autem ventilatum non fuerit, mundum esse non poterit. Ita homo nisi fuerit tentationibus:*

*nibus:*

nibus ventilatus, fragilia queque, veluti paleas, à se non potest separare. Eandem ob causam D. Joannes Matthæi cap. 3. Christum agricolæ vannum tenenti & agitati comparat, *cujus ventilabrum ejus in manu ejus.* David de se & de Christo loquens Psalmo 55. *Conculcavit me homo, inquit, tota die impugnans tribulavit me. Ubi id factum?* In Geth urbe Palæstina, ut patet ex titulo Psalmi: Geth autem torcular significat. Unde piè more suo Augustinus: *Tenetur in torculari corpus Christi. Quid est in torculari? In pressuris. Sed in torculari fructuosa pressura est. Uva in vite integra est, pressuram non sentit, sed nihil inde manat: mittitur in torcular, calcatur, premitur, injuria videtur fieri uva: sed ista injuria sterilis non est: imò si nulla injuria fieret, sterilis remaneret.* Verùm de calamitatum fructibus tum alii multi tractavêre, tum nos ipsi alibi agimus ex professo. Et verò experientia quotidiana plurimos ostendit, quibus ad meliorem ac sanctiorem vitam frustra fuerant cætera, nisi malorum incumben-  
tium

tium sensus accessisset, impulissetque tergiverfantes.

XII. *Exemplo ostenditur.* Unum de multis produco, quem Spondanus exhibet ad annum 1402. Hominum nemo Roberti Scotiæ Regis filium Davidem virtute informare potuerat. Voluptatum amator, prodigus, honesti omnis negligens, inverecundus vitiorum jactator, minis juxta ac blanditiis flecti nescius, monitorum omnium contemptor, verbo scurræ purpuratus, spem omnem mentis melioris amiserat, nisi ingenium malis mollesceret, & annis mitesceret. Itaque parens, desperatâ curatione, eum longè ab se ablegat ad patruum, propè Caledonios montes in arce semota habitantem, commendatque, ut severè cohibeatur, donec ætas animum fortè mutaverit. Patruo jucunda fuit occasio tam prompta, & obvia, explendæ ambitionis suæ, quâ regnum jampridem devorârat, obstantesque sibi filios fratris tollere aliquâ de medio statuerat. Eum igitur in arctam validamque turrim compingit, secluso famu-



116 BONA VOLUNTAS  
famulatio omni, appositisque circum ad  
portas custodibus, qui accessum prohi-  
berent, caverentque, ne cibi potusque  
quidquam penetraret: sublato primoge-  
nito, fratruelium aliorum caedem sibi fa-  
cilem fore, paratumque regnum, arbi-  
tratus. Ita fame enectus adolescens bre-  
vi vitam amisit: alimentorum quidquam  
inferre auso nemine, praeter foeminas  
duas, puellam unam, alteram nutricem  
rusticanam. Illam ferunt filiam fuisse  
unius ex tyranni domesticis, & panis  
frusta, inter reticulum capitis ac crines  
abdita furtim ex contiguo horto, per  
spiramenta, in carcerem demisisse. Haec,  
via eadem, e mamillis lac per tubulum  
distillabat in os captivi. Sed utraque,  
paucis diebus deprehensa, extremo sup-  
plicio luit, barbaram caritatis mercede.  
Destitutum auxilio omni regium Princi-  
pem miserrime periisse diceres. Sed  
auxilio divino carebat, nisi humano ca-  
ruisset: perditus erat, nisi sic periisset.  
Compedito, squalido, languenti, sordi-  
bus obsito, tenebris obruto, numen  
affuit,

affuit, lumen in pectus infudit, vincula quibus animus tenebatur ostendit, vitæ antea actæ horrorem dedit, captivo corpore animam liberavit. Adeoque sua illi calamitas profuit, ut testandæ sanctimoniam post mortem plurima miracula ad ejus tumulum, nam hunc patruus non inviderat, patrata perhibeantur: neque antè desisse, quàm Jacobus Scotiæ Rex, minor natu frater, movit in patrum parricidam, pœnasque de facinore expetiit. Numquid tibi de eo Principe dici posse videntur verba Paullini de Melania, viduâ suâ & orbâ, epist. 10. *Miser factus est, ut efficeretur beatus; percussus est, ut sanaretur?* Ita sunt filiorum Dei infortunia: seminatur calamitas, ut metatur fœlicitas: infliguntur vulnera, ut firmetur sanitas.

## SECTIO TERTIA.

Tertium bonæ Voluntatis officium,  
*A Providentia Divina in futurum pendere,  
 seu indifferentem esse.*

I. *Quid sit  
 indiffe-  
 rentia.* **I**ndifferentiam vocamus, ani-  
 mi comparisonem seu statum  
 talem, ut non magis desideret  
 divitias paupertate, nobilitatem ignobi-  
 litate, pulcritudinem deformitate, sani-  
 tatem morbo, vitam longam brevi, lau-  
 des contemptu, magnas dotes exiguis,  
 illustres occupationes obscuris, excelsum  
 gradum infimo. Locus hic præ altero  
 non placeat: fælix successus negotii ante  
 infælicem non ponatur: genus unum vi-  
 tæ non eligatur præ alio, donec de Dei  
 voluntate constiterit. Qui sic constitu-  
 ti sunt aptè ab Hieremia cap. 18. confe-  
 rentur cum luto inter manus figuli. Et  
 verò homines, è limo facti, in factoris  
 arbitrio esse debent, uti argilla in manu  
 fictoris. Isaias cap. 60. confert illos cum  
 nubibus, quæ in aère libratae non aliò  
 ferun-

feruntur, quàm quò ventus impellit: *qui sunt hi, qui ut nubes volant?* Similes sunt instrumento, quod operi admove-  
tur, quiescit, deteritur, situ rubiginem contrahit, prout visum opifici. Ju-  
mento similes, cuius non refert, qualem sarcinam gestet, aureamne an plumbeam: *ut jumentum ego sum apud te, & ego semper tecum.* Similes ovi, cuius propensio ad pascua pendet à ductu pastoris, qui regit & nihil deerit. Similes Evangelicis vinitoribus, quorum nihil intererat, fo-  
derentne, an pastinarent, putarentve, aut fulcirent vites, vel rigarent: ad quid-  
vis parati, dum conductori suo satis-  
fieret.

## II.

*Gratissima  
hominibus.*

Gratissimam Deo esse hujus-  
modi indifferentiam, facile ex  
nobis ipsis intelligemus. Hero-  
ciupiam servi duo sunt. Unus cessare  
nescius, in omnia familiæ commoda in-  
tentus, nec diligentia parcens, nec labori:  
at ubi ab hero aliquid præter mentem  
suam facere jubetur, vix temperat ab  
obmurmuratione, difficulter saltem &  
obnitens

obnitens obtemperat. Alter non adeò  
velox est in opere suo, neque ultrò ad  
heri obsequium tam multa aggreditur:  
at ubi mentem ipsius intellexit, eò pro-  
tinùs advolat absque ulla tergiversatione.  
Uter eorum servorum hero gratior est?  
Dubitari, inquis, non potest: dominis  
enim ex eorum voluntate, non suâ, fa-  
mulandum est, figereque sibi hanc legem  
debet quisquis in famulatum concedit,  
arbitrio deinceps herili vivendum esse.  
Ita & inter milites res habet: ubi non is  
pluris fit, qui sæpiùs in hostem excurrit  
& pugnat, sed qui stationem sibi designa-  
tam tuetur, & à ducis sui imperiis per-  
petuò pendet: uti Evangelicus ille miles  
ac servus, cui cum dicitur *vade, vadit; fac  
hoc, facit*. Indoctus eques laudabit equum  
generosum, tenèriac quiescere nescium,  
qui ubi tuba insonuerit evolare gestit, &  
si prohibetur, impatiens moræ fracta  
ferox spumantia mandit: qualem fere  
habes descriptum Jobi cap. 39. At do-  
ctus domitor qualemcunque equum non  
magni faciet, donec non calcari modò

aut virgæ, sed & sibilo ac poppyfmo obtemperet: donec ad minimum fessoris nutum eat, recedat, excurrat, subsultet, transfiliat, in omnem sese motum agitationemque efformet.

III. *Et Deo.* Tales sibi Deus homines expetit, quibus obedientiæ securus dicere possit: *Accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi.* Quos in navim conjiciat, & claudat à foris ostium, quomodo factum Noëmo, ut à Dei voluntate totus pendere, ingressusque ipsius jussu, egredi injussu nequiret. Fulgurum emissiones poeticâ paraphrasi describens Deus, Jobi cap. 38. *Nonne, ait, mittes fulgura & ibunt, & revertentia dicent, Adsumus?* Ita viri boni eant, sed non nisi quò mittuntur, dicantque, *Ecce ego, mitte me.* Pingi solent Seraphini, extentis utrimque alis, velut ad evolandum parati, quò jusserit Dominus. Sic amantes divini obsequii homines non evolent, sed volare parati sint, quando Deus voluerit. Hoc, opinor, Franciscus Sales Gebennensis Episcopus

F

de

de se scribebat sub vitæ finem, *Pauca volo,  
& quod volo, parum volo.*

IV. *Perfectio  
virtutis in-  
de pendet.* Joannis cap. 24. dicebat Chri-  
stus Petro: *Cum esses junior, cin-  
gebas te, & ambulabas ubi vole-  
bas: cum autem senueris, alius cinget te.*  
Minus in virtute proveci, quò volunt,  
ad bona opera ambulant: at proveciores  
& perfectiores ea faciunt & patiuntur,  
quæ Deus vult. P. Jacobus Laines, vir  
magnus è Societate nostra, aliquando  
cum D. Ignatio, cui in cura Societatis  
totius successit, familiariter colloquens,  
falsus est ingenuè, magna sibi esse deside-  
ria profectiois in Indias, ad conver-  
sionem Infidelium, & propagandum  
Christi nomen. Cui Ignatius: at ego,  
inquit, si istiusmodi propensiones senti-  
rem, non antè desisterem, quàm penitus  
extirpatæ essent, & voluntas mea pende-  
ret bilancis instar in æquilibrio. Archi-  
tectus peritus in area laxa facillimè desi-  
gnârit insigne domicilium: at ubi intra  
angustias arctatur, neque aream capacem  
hactus est, spatium non habet explican-  
da

æ arti & magnificentiæ. Statuarius sculptor, si rectum & innode lignum habet, quamlibet illi figuram facile daturus est; secus si nodosum & curvum. Ita si pectus humanum privatis cupiditatibus non arctetur, si nodosis desideriis non obdurescat, gratiæque architectanti & sculptenti non resistat, existet insigne domicilium virtutum, & perfecta divinæ sanctimoniæ imago.

V. *Necessitas  
ejus status.* Peremptoria ratio, cur eò indifferentiæ venire debeamus, est necessitas eligendæ ad salutem viæ & adminiculorum. Ignorantes autem sumus rerum ipsi nostrarum, nec satis dispicimus, quid in præsens futurumve, nobis expediat. Itaque si desideria nostra sequamur, cæcum sequemur: *cæcus autem, si ceco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Hinc illud celebre Matth. cap. 20. dictum à Christo filiis Zebedæi, plerumque filiis hominum multa concupiscentibus, vana molientibus, aptari potest: *Nescitis, quid petatis.* B. Franciscus Borgia, ægrotante Leonorâ lectissi-



mâ fæminâ, conjuge suâ, quicum annos totos octodecim in summa conjunctione vixerat, ad precandum Deum conversus, toto animo sanitatem ipsius postulabat. Cùm ecce visus sibi audire intus dicentem Deum: si quidem velle pergis, ut uxor convalescat, mox fecero, sed tibi non expedit. Ad eam cogitationem, represso statim desiderio uxoris conservandæ, totum se divinæ voluntati, repetitis iterum atque iterum resignationis actibus, permisit, his ferè verbis: *Quis enim rectius novit, quid è re mea sit, quam tu mi Deus? Tua itaque voluntas fiat.* Ait vitæ scriptor, notatum, ab ea resignatione ægram sensim ad extrema delapsam, & paullò post mortuam, marito libertatem amplectendæ perfectioris vitæ reliquisse: cùm antè, sanitatem ejus petente Borgia, morbus dubio exitu pendèret.

VI.  
*Exercitium.*

O quot modò reperiantur, quibus inter vota sua & desideria diciqueat: *Tibi non expedit?* Dignitates exoptas, favores ambis, tibi non expedit. Divitiarum avidus es, possessio-

ne

nes & amplam familiam cupis, tibi non expedit. Deo te permitte si sapias, omnia scienti, bona volenti. Dic cum Borgia: *Quis enim melius novit, quid è re mea sit, quam tu mi Deus? Tua itaque voluntas fiat.* Dic piè cum Lanspergio in Enchiridio militis Christiani: *Misericordissime IESU, optime Domine, non potest quod tu vis esse malum, sed ordinatissimum sit necesse est, quidquid à te procedit. Si me vis habere infirmum, sit nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua. Si me vis habere sanum, sit æquè nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua. Si me vis mori, sit nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua. Si me vis vivere, sit nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua.* Scribe, & dic sæpiùs, quod singulis diebus manè & vespere iterabat Episcopi Gebennensis Francisci discipula, Philothea Fremiota, primâ parte Vitæ cap. 23. *Domine, nolo mihi deinceps optionem ullam: percutere quamlibet chordam lyre mee semper, & in æternum; non alia, quam tetigeris, resonabit. Ita Domine IESU: sine si, sine sed, sine exceptione ulla, fiat voluntas*

*tua, de patre meo, de liberis, de omnibus rebus,  
& de me ipsa.*

VII. *Modus eò  
veniendi.* Siccine verò, inquis, ego loqui  
ex animo possim? Hominem  
exuisse oporteat, corpore exisse,  
naturam mutasse. Non horream dura  
magis, quàm mollia? Non averfer potius  
dedecorosa, quàm honorifica? Non ap-  
petam ardentius jucunda, quàm amara?  
Id Angeli faciant, expertes materiae:  
quamquam & ipsis sua ad gloriam magis,  
quàm ad dedecus, propensio fuit. Quid  
enim dedecoris fugiendi metu facerent,  
qui majoris gloriae quàm oportuit, cupi-  
ditate peccarunt? Homines vis esse ad  
omnia indifferentes, cum id etiam Ange-  
lis difficillimum fuerit? Angelos dicis,  
quos malos Dæmones dicere debueras:  
ideò malos Dæmones, quia propriae vo-  
luntati, non divinæ, obsecuti sunt. Istud  
est, quod ex Bernardo toties occinitur:  
*Tolle voluntatem propriam, & infernus non  
erit.* Sed ad eam, quam exaggeras, diffi-  
cultatem, aut tollendam penitus, aut maxi-  
ma sui parte minuendam, conare, quod  
intelli-

intelligenti difficile non erit, bona caduca & mala ipsis opposita contemnere. Non dubito, quin experiare, quotiescumque libripendem voluntatis deorsum aliquid trahit, proficisci vel ex immodica cupiditate bonorum, vel à nimio metu malorum.

VIII. *Fugacitas bonorum temporalium.* Quid autem habent caduca bona dignum amoribus nostris? Tenuia instar umbræ, levia instar venti, fugacia instar diei; nomen pictæ non veræ fælicitatis. Vitro eleganter comparabat Publius Mimus: *Fortuna vitrea est, tunc, cùm splendet, frangitur.* Placuit hæc similitudo D. Augustino, eam variis locis repetenti. Quamquam homilia 28. ostendit fragiliorem vel ipso vitro esse fortunam: aliquando enim nepotes & pronepotes in avorum & proavorum calicibus bibere, cùm tamen avorum & proavorum fortuna perierit. Aptissimè somniis comparabat Philo libro de Joseph, ubi dicit; *hominem sapientem, seu ut ipse loquitur, civilem esse debere somniorum interpretem, id est maximi*

& perpetui somnii humana vita: & quomodo ridendus sit, qui somniorum suorum visis aut turbetur aut exhilarescat: ita vanum esse, quem fugacia mala bonave contrariis moribus nimium exagitent. Eodem sensu, breviter ac scitè, vocata est Guilielmo Parisiensi, libro de legibus cap. 8. fortuna omnis humana, *Felicitas somnialis*: ab alio, *bracteata felicitas*. A Sapiente, *Fascinatio nugacitatis*, Sapien. cap. 4. A D. Joanne Apoc. 14 *poma desiderii*, manum fallentia, & hiantis os subito discessu deludentia.

IX. *Vilitas.* *Evaporata momenta libidinum* eleganter Seneca dicebat: eodem modo dicas momenta favorum, momenta opum, momenta dignitatum. Libro Regum 4. cap. 9. ungitur Jehu in Regem: proceres circumstantes, cum ludibrio id fieri putarent, mox tamen, mutatâ cœlitis voluntate, ludum in serium vertère, & Regem acclamavère, substraveruntque ipsi pallia sua, *in similitudinem tribunalis*. Chaldaeus habet, *ad gradum horarum*: id est, propè solare horologium; cujus umbrâ

umbrâ scilicet Rex novus adinoneretur, horariam esse ac momentaneam fœlicitatem suam. Adde & vilem ac terream, cum ad gradum Solo imminentem, non autem in loco eminenti, collocetur: ut abjectissimo cuique, & impiissimo, atque insipientissimo illuc aspirare liceat; & probos plerumque, ac sapientes, opibus, favore, dignitatibus prævenire. Id ipsum coturnicibus, in avidorum Israë- litarum castra involantibus, adumbratum, putat Drogo Ostiensis, sic Deum orans: *Ne pluas super nos coturnices, Domine, desideria carnis nostræ, quæ non nisi duobus cubitis levantur à terra, quia non attingunt dona Spiritus Sancti.* Inò non tantùm non levantur à terra supra cubitos duos, sed etiam in terram incumbunt: ut fœlicitatis temporalis benedictio videatur eadem esse, ac maledictio serpentis, Genesis cap. 3. *Super pectus gradieris, & terram comedes.* Certè eò respexisse videtur D. Basilius, cum, epistolâ ad Monachum lapsum vocavit honores, adulationem, aliâque friyola, χαμαιπρεπὲς δοξάριον,

30 BONA VOLUNTAS

Humirèpam gloriolam, & ad ima vergentem. Augustinus libro Conf. i. cap. 9. confert ludis puerilibus, ob quos se vapulasse puerum narrat, ridente patre: *majorum nuga negotia vocantur, puerorum autem talia cum sint, puniuntur à majoribus, & nemo miseratur pueros, vel illos, vel utrosque.*

X. *Voluntas aquilibrium.* Isthæc, aliâque in eandem sententiam, passim experientia & cogitationi quotidianæ occurrentia, cum expenderis, facillimum tibi fuerit, immodicum erga res tam caducas & viles amorem præscindere. Quod si feceris, eâdem operâ voluntatem tuam ad æquilibrium reduxeris, & constitueris in statu indifferentiæ. *Amor enim tuus, pondus tuum.* Hoc pondere pressa bilanx vergit in eam partem, quò amor fertur. Præterea, cum bonorum temporalium amori modum adhibueris, simul malorum timorem immoderatum represseris. Neque enim mala nisi catenus formidantur, quatenus bonis amatis opposita sunt. Mortem nimium extimescis? Vitam scilicet immo-

immoderatè amas. Exhorres ad infamiæ, paupertatis, inimicitiarum imaginem? Quia videlicet famæ, opum, favoris nimium appetens es. Hecatonis illud, à Seneca celebratum, verissimum est: *Desines timere, cum sperare desieris, & concupiscere.*

XI. *Aliud ad illam subsidium indicatur.* Posset addi & aliud indifferentiæ comparandæ subsidium, ex malorum, quæcumque humanæ conditioni occurrere possunt, seriâ & forti præcogitatione, *Nisi, enim quidquid fieri potest pro futuro habes, das in te vires rebus adversis, quas infregit, qui prior vidit.* Quomodò aiunt, crocodilo adversus audacter occurrentes animum non esse, cum in fugientes ferocissimè incurrat. Hinc Christus sæpè discipulos de Passione sua præmonere solitus, ut venientem cò minùs horrerent, quò sæpiùs cogitassent venturam. Sed tum alii ea de præmeditatione multa dixerunt: tum nos etiam aliquid in Machabæorum gestis, ubi Eleazeri ultrò elephantem Regium incurrentis, & Jonathæ ad hostem lacef-



sendum transvadantis, aut tranantis potius, egregia facinora narrantur. Nunc post expositas tres virtutes, quas Providentiæ divinæ debemus, totidem illis excolendis & firmandis adjumenta proponenda sunt.

